



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eisdem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

tem ad restituendum idem feudum, sicut iustum est, cum fructibus inde perceptis Ecclesie supradictae monere prudenter & efficaciter inducere procuretis, ipsos ad hoc, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogentes. Testes autem &c. Datum ut in alia per totum.

E I S D E M.

Epist. 164.
Super eodem.

EXposuit nobis venerabilis frater noster Archiepiscopus Patracensis quod cum a prima institutione Patracensis Ecclesie in Ecclesia beati Theodori archiepiscopalis consueverit sedes esse, in qua novi Pontifices primò inthronisari solebant, ac certam ibi mansionem necnon etiam sepulturam habere, aedificato castro circa ipsam, non solum ossa tumulorum ibi Pontificum sunt effossa, verum etiam sedes eadem ipsi Archiepiscopo est ablata. Vnde nobis humiliter supplicavit ut detentores predictae sedis ad eius restitutionem compelli & Ecclesie ipsi competens spatium in circuitu dimitti liberè mandarem. Volentes igitur Archiepiscopo memorato in Ecclesia sua iure, sicut tenemur, adesse, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus detentores predictos ad restitutionem praefatae sedis, prout iustum fuerit, sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo compellentes, faciatis in canonico circa ipsam spatio provideri. Datum ut in aliis.

ARCHIEPISCOPO PATRACENSI.

Epist. 165.
Epistolam arguente cum epi. data 165.

Iustis petentium desiderijs dignum est nos facilem praebere consensum, & vota quae a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis iustis precibus inclinatus, concessionem Dimofarij Patracensis & totius Autumpnae ac omnium casahum de Exafilina, quae nobiles viri Guiardus & Guillelmus in captione Constantinopolis acquisisse noscuntur, Ecclesie Patracensi liberaliter factam ab ipsis, sicut pie ac providè facta est, tibi ac per te ipsi Ecclesie auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei &c. usque incursum. Datum Laterani 11. Kalend. Novembris, pontificatus nostri anno tertio decimo.



DECANO, ARCHIDIACONO de Losco, & magistro Hugoni Canonico Cabilonensi.

Dilecti filij Abbas & conventus Cisterciensis transmissa nobis petitione monstrarunt quod quidam rectores Ecclesiarum provinciae Lugdunensis ab eis qui vivi & incolumes ad eorum ordinem transeunt, sibi fieri exigunt testamentum, & in eos quos iidem relinquunt in seculo, propter hoc ecclesiasticam exercent censuram, ac capitulum illud quo eis a sede apostolica indulgetur ut licet liberos & absolutos a seculo fugientes recipiant interpretantes sinistrè, afferunt eos, licet alias absoluti existant & liberi, sine ipsorum licentia non posse ad religionem transire, pro eo quod iure parochiali eisdem obligati tenentur. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus quatenus praesumptores praedictos a praesumptione huiusmodi, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compescatis. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani 1x. Kalend. Novembris, pontificatus nostri anno tertio decimo.

Epist. 166.
De libero accessu laicorum ad ordinem Cisterciensem.

PATRACENSI Archiepiscopo.

Cum S. Ballivo quondam tuo, qui pro eo quod iura Ecclesie tuae fideliter defendebat, non solum naso est mutilatus, verum etiam graves alias jacturas incurrit, de bonis Ecclesie tuae disponas liberaliter providere, sicut ex tua insinuatione didicimus, nos in hac parte pium tuum propositum in Domino commendantes, fraternitati tuae praesentium auctoritate mandamus quatenus de bonis Ecclesie tuae sibi ad sustentationem suam decenter providere procuret. Datum Laterani Nonis Novembris, anno tertio decimo.

Epist. 167.
De sustentatione Ballivi. 171.

ABBATI ET CONVENTUI Aliacumbe.

Cum nobilis vir Gaufridus de Villa Arduini dominus Achaiae ad suggestionem venerabilis fratris nostri Patracensis Archiepiscopi, sicut ipse proposuit coram nobis, multas possessiones & alia bona vobis duxerit concedenda, de quibus conventus valeat sustentari, devotioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus huiusmodi propositum prompto prosequentes favore, conventum de fratribus

Epist. 168.
De monachis mittendis ad Archiepiscopum Patracensem.